711

Nobilis amplissimae dignitatis et Clarissimae eruditionis Vir.

S. P. Invitus intellexi abitum te moliri ijs ex locis, ad quae insignitae eruditionis et regiae prudentiae tuae celebratissima fama te pertraxit auspicijs augustissimae memoriae Principis Ernesti Comitis Schaumburgici. Nam cum hactenus non ignavus scriptorum tuorum lector, ac forte etiam aestimator non indignus, inde quasi ex ungue Leonem colenmus, admirabile tuum ingenium in indagandis, eruendis, digerendis, examinandis et ad usum publicum traducendis prudentiae politicae scriptoribus satis superque habuerim exploratum, nec aliud fere magis ardentissimis votis expetiverim, quam ut per literas tibi innotescerem, ecce nunc tandem toties frustra suspirata captataque id obtinendi occasio à Cl. D. Doct. Frixio mihi ostenditur. Quo officio ut forte nullum optabilius ab eo mihi potuit obtingere, ita illud permolestum mihi est, opportunitatem istam hoc temporis articulo oblatam quo de domicilio mutando te cogitare aegerrime ex eodem intellexi. Itaque hoc consilij mihi video relictum, quod in caeteris rebus mundanis ac sublunaribus in universum sequi non oportet, puta ut toto complexu iamiam è manibus mihi delapsuram occasionem mihi eam asserturum. Quid hominis sim, et quam personam in huius mortalis vitae fabula Opt. et ter maximus Deus mihi imposuerit tum quibus studijs meum otium oblectem, id ego te malo

ex D. Finxio cognoscere. Illud quidem non dissimulo esse
rerum physicarum, botanicarum, et politicarum amato
cultoremq curiosissimum. Quocirca cum intellexerim
quoq studium in hortorum cultura quam hactenus
eximium, patieris te rogari, ut quia Deo tibiq visum
alio migrare cum tui cultissimi horti mox tanto
orbandi fructibus, seminibusq meum qualemcunq
tare; tum rarissimi tui ingenij foetibus nonnullis
stem meum exornare animum inducas. Fidem do quot
sint flosculi in horto: quot item paginae in musaeo
a tua manu conspicientur, tot monumenta illus
Domus mihi obversatura. Ego etsi non ignoro, quam
rei sim, ita tamen existimes velim me vicissim tui
omnia facturum. Vale Vir Amplissime, et tuum
te non amantem duntaxat (quando id parum est) sed
observantem benevolentia tua complectere. Lunae
a. d. 4. 9bris. Anno 1623.

Tuarum rarissimarum virtutum
Cultor et Amator

Georgius Schmaicher

[illegible]

Nobili, Amplissimae dignitatis et clarissimae
eruditionis Viro D. Melchiori Goldasto
ab Haimensfeld, diversorum Germaniae
Principum Consiliario excellentissimo
Domino et amico meo desideratissimo.